

WIR.

2944
qu



19
:1357 174
657.
DISSERTATIO MEDICĀ INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA,

Quam

Auspicio divini NUMINIS clementissimi,
consilio & autoritate illustris SENATUS medici,
in florentissimā ad Salam Academiā

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo,

DN. JOHANNES ARNOLDO

FRIDERICI, PHIL. & MEDIC. DOCTORE

famigeratissimo, ANATOMIÆ, CHIRURGIÆ ac BOTANICES

Profess. Publ. longè celeberrimo, MEDICO Du-

cali SAXO ALTENBURGICO,

Dn. Patrono, Præceptore, ac Promotore submisso

animi cultū devenerando,

PRO LICENTIA

Summum in arte medica DOCTORATUS

gradum, ejusdemque Honores, Privilegia & In-

signia ritè sustinendi,

Publico Φιλιατρῶν examini submitte

MARTINUS MERCKEL,

Smalcald. Hassus,

IN ACROATERIO MAJORI

ad diem Maji horis pro- & pomeridianis.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI, c1o 1768.



SERENISSIMO. CELSIS-
SIMOQUE.
PRINCIPI. AC. DOMINO.
DOMINO.

GUILIELMO. VII.
LANDGRAVIO. HASSIÆ.

PRINCIPI. HERSFELDIAE. CO-
MITI. CATTINELIBOCI. DECIAE. ZIE-
GENHAINÆ. NIDDÆ. ET. SCHAUM-
BURGI. &c.

PRINCIPI. AC. DOMINO. MEO.
CLEMENTISSIMO.

Cum omni & summo omnium felicitatum voto,
hanc dissertationem medicam,

Inauguralem

ex subjectissimâ animi reverentiâ ac de-
votissimâ humilitate

offerens dicat atque
consecrat

MARTINUS MERCKEL,
Medicinæ Doctorandus.



CAPUT I

de

Apoplexiæ definitione
nominali.

Apoplexiæ malè affecto, reliqua membra cuncta debilitari, & olim & hodiè omnium confessio conspirat. Hoc ita sese habere, testantur, uberiùs & historiarum & observationum Medicarum monumenta luculentissima. Ut cæteros taceam, jam unum ex capitis affectibus tantùm Apoplexiam nempe in scenam disputatoriam pro labore inaugurali protrahere gestiam. Hic capitis & corporis etiam totius inopinatus hostis, quàm subitaneas vitæ humanæ insidias struxerit struatque, nemini nisi rudioribus est ignotum. Eò magis itaque necessarium inquirere in ejus penetralia, & prudenter obviam ire. DEUS, qui labori huic benedicat, nobiscum.

Quoad ETYMOLOGIAM. Hæc vox Apoplexia originem suam debet Græcis, qui deducunt ἀπὸ τῆς ἀποπλήθειν, quod notat graviter percutere, percellere; unde ἀπόπληκτον illum dixerunt, qui ita graviter ac fortiter percussus est, ac si quis subitaneo fulminis ictu penitus conciderit. Exinde Germanicè vertitur der Schlag. Derivatur ab ἀπό (quæ particula aliàs juxta criticorum arbitrium, in compositione vocis intensiorem rei alicujus gradum ac vehementiam connotat) & πλήτω percutio, ictum infligo: Quapropter Apoplexia latinè sonare potest percussio intensissima ac vehementissima.

660.

SYNONYMIA gaudet Apoplexia præ cæteris affectibus singulari: dicitur enim affulguratio, sideratio, & affectus sidere nescio quo immissus, nam veteres fulmen sidus esse opinati sunt. Item *Celsus lib. 3. cap. 26. de re medicâ* morbum attonitum & cap. eodem universalem membrorum resolutionem vocavit. Quo etiam respexit *Ibn Sina, libr. III. Fen. I. Tractat. V. cap. 12.* quando definit: **اللسان**

**تقطر الاعضاء عن العنق
والعروق في اماكن واقع في بطن الدماغ وفي
مجاري الروح العنق والدمع**

Quod latina versione sic transmutatur: *Apoplexia est ociositas membrorum à sensu & motu, propter oppilationem contingentem in ventriculis cerebri, & in cursibus spiritus sensitivi & motivi.*

Cæterùm *Paracelsus* appellavit guttam, unde Germani den *Tropffen* quæ denominationis ratio admodum est ridicula, dum tres sanguinis guttas in capite pendere somniaverunt: sub utraque temporum regione unam, tertiam verò in cerebri medio, quarum alterutra si vel dextra vel sinistra deciderit, modò dextri modò sinistri lateris paralyfin sive hemiplexiam sequi. Quando autem media decidit, apoplexiam simpliciter ita dictam oriri, & hominem suffocari. Exindè Germanicè *der gähende Tod / die Lähme / das rühren der Hand Gottes.*

Arabes denique prætereà nomine **أفونيا** utuntur, quod significat Aphoniam, Apoplexiam, & deducitur à rad: **أفون** extinctus fuit ignis, & cum eo fervor omnis, idem per longitudinem plicaturæ fissa & concisa est.

HOMONYMIA Apoplexiæ tandem sequitur:

1. *Generaliter* & latè sumitur pro omni apoplexiæ genere, sive sit Paralyfis, sive Hemiplexia sive Apoplexia, uti hoc etiam: *Hippoc. in Coac. pranot. & Celsus l. 3. c. 27.* confirmant.

2. *Spe*



2. *Specialius* notat symptomata sensus ac motus ablati in certo aliquo membro. Quod ipse Hippoc. 7. apb. 40. comprobavit.

3. *Specialissime*, strictè ac propriè sumitur pro ipso cerebri morbo, quo præsente, sensus ac motus totius corporis tollitur, de quo nunc labor meus erit sollicitus.

CAPUT II

de

definitione Apoplexiæ reali.

Perlustratâ definitione Apoplexiæ nominali, jam suo jure REALIS succedit.

Est igitur APOPLEXIA, *repentina omnium operationum animalium in toto corpore abolitio cum respirandi difficultate, ab influxu spirituum animalium in principium spinalis medullæ dene-gato dependens.*

CONCEPTUS GENERICUS seu ratio formalis hujus morbi notatur hic, quod sit *repentina omnium operationum animalium in toto corpore abolitio.*

Periit enim sensus ac motus, superest adhuc respirandi, sed summa cum difficultate facultas, silet consiliarius scilicet mens nostra, imò totum corpus instar arboris insignis magnitudinis abscissi concidit & miserè jacet. Quod etiam jamdudum Galenus prædixit: 2. apb. 42. ἐν ταῖς ἀποπληξίαις ἄξαιφνης ἀναίσθητοὶ τε καὶ ἀκίνητοι γίνονται, πᾶν τὸ σῶμα, πλην μόνως τῆς ἀναπνοῆς. *Qui Apoplexia corripuntur, ii totius corporis sensu ac motu privantur, præter solam respirationem.*

Sensus cum interni tum externi operationibus destituuntur, & prorsus evanuisse videntur. Hoc ex posteriori satis superque elucescit, nam vix ulla sensus communis, memoriæ & phantasiæ vestigia apparent; neque ulla etiam circumstan-

tium tam Medicorum quam amicorum auxilia accipiunt, licet illos anxie sollicitent.

Motus ferias quoque inire coactus est; immobilia omnino omnia membra, & quasi conquassata jacent.

Denique nil nisi respirationis difficultas restat, quæ irradiationis adhuc spirituum virtualis in musculos thoracis ob obstructionem difficulter permeantis, nota est.

Hic difficilis spirituum influxus aliter sese non habet ac calor solis virtualis. Hic enim licet radiis suis in hypocautum ob velamenta penetrare nequit, sentitur tamen ejus virtus in illo.

Cur verò, cæteris membris stupentibus, respiratio eaque difficilis supersit? (quod tamen negat *Saxonia in pantheo*) quæstio est insignis, ideoque digna, ut ventiletur.

Galenus in Comm. 2. aphor. 42. scribit: θαυμαστοί γέ εἰσι, ὅπως τῶν ἄλλων μυῶν ἀπείκων ἀκινήτων ἐν ταῖς ἀποπληξίαις γινόμενων, οἱ τὸν θώρακα διασείδοντες εἰ καὶ μόγις, ἀλλὰ κινεῖται πολλάκις. Mirum videtur, quæ fiat, ut aliis membris immobilibus, soli thoracem moventes moveantur, egrè licet, attamen sæpè. Rationes ad hoc explicandum duas superaddit: prima est apparens, respirandi necessitas, quam his verbis profequitur loco citato. Εἰκόθεν ἢ γίνεσθαι τὸ δια τὴν χρεῖαν τῆς ἐπιχειρήσεως αὐτὴν, τὴν ἐν τοῖς νεύροις δύναμιν, ὅτι τὴν ἐνεργεῖαι. Videtur autem id accidere propter necessitatem respirationis vim nervis contentam excitantis ad operationem.

Deinde secunda & quidem vera ab ipso habetur imbecillitas virtutis motricis. Hinc ita pergit: τοῖς ἀποπληκτοῖς, ἔτι καὶ τὴν χρεῖαν ἠυξῆσθαι τῆς ἀναπνοῆς, ἀλλὰ δια τὴν ἀρρώστιαν τῆς δυναμικῆς συνεργεῖν ἀναγκάζονται πάντες, οἱ τὰ θώρακα μύες. In Apoplecticis, non quia respirationis aucta sit necessitas, sed propter imbecillitatem virtutis cooperari coguntur omnes muscoli thoracem diducentes.

Penitius alii nodum hujus quæstionis ita solvi autumant, si motum respirationis mixtæ naturæ esse constituent, quatenus ille mutuo & vitalis & animalis auxilio in actum traducitur.

663
Naturalis vocatur à Magnifico nostro Rolfincio Dn. Præceptore ac Promotore omni ætatis meæ decursu devenerando, in methodo cognoscendi & curandi affectus capitis particulares pag. 4. quatenus cor & pulmones insitâ vi se elevant ad attrahendum vel expellendum aliquid.

Animalis sive spontaneus verò, quatenus muscoli huic actioni succurrunt, & costas levant, ut in eo cor pulmonesque liberiùs queant moveri.

Probabilior etiam Excellentissimo Dn. Præsidi, Præceptori meo omni observantiæ cultu prosequendo, colendo, videtur Galeni sententia, in diss. de Apoplex., actionem principaliter animalem esse; In potestate enim, vel arbitrio etiam nostro est, ut illam possimus intercipere, differre, tardiozem aut celeriozem ad tempus efficere.

Neque ullus subest fucus in hac sententia Galeni. Non solum quæ simpliciter sunt in potestate nostra, actiones animales sunt, sed etiam quæ necessitatibus corporis coactivis interviunt, in iisque naturæ cohærent, nam totius corporis conspiratio & consensus est ad agendum.

Superest in Apoplexia actus respirandi licet debilis atque infirmus, 1. ob unionem adhuc animæ cum corpore præsentem, cujus facultates ægrè ac difficulter actiones suas expediunt, propter obstructions spiritus animales detinentes.
2. Ob necessitatem summam, nam præsentem animam, ut dixi, etiam summè necessaria respiratio, & hæc est illius nota.

Cur verò motus hîc thoracis sensibilis, cæterorum membrorum corporis minus sensibilis existat, ratio prima videtur, quia ibi respirationis maxima necessitas ob cordis præsentiam: in hoc enim nec sanguinis nec spirituum generatio peragitur, nisi respiratio legitime sese habeat aut ad minimum ex parte adfit. Secunda, quia natura conjunctis spirituum vitalium ac animalium viribus adhuc restantium & permeantium vitam si non conservare, tamen ad tempus quoddam mediante hoc motu prolongare nititur.

Qui-

Quidam cum *Massaria l. 1. prælect. præf. c. 13.* febrem adjungit apoplexiæ defendunt, easque apoplexias, quas febris comitatur, salubriores pronunciant. Supervenire febrem ardentem quarto aut quinto post apoplecticum paroxysmum die, mortis tamen potius quam vitæ indicium præbere, in binis apoplecticis observavit Excellentiss. Præses.

CAPUT III

de

Apoplexiæ subjecto.

SUBJECTUM quod seu principium passivum materiale huius affectus suo jure prius enucleabo, quàm ad alia evolventa transgrediar.

PRIMARIUM hîc atque principale subjectum esse cerebrum, jam olim Hippocrates *lib. 1. de glandulis*, & Galenus *lib. 3. loco affect. c. 10.* agnoverunt. Hic enim inquit: ἡ τοίνων ἀποπληξία πῖσους ὀμδ τὰς ψυχικὰς ἐνεργείας βλάπτουσα, σοφῶς ἡμῖν ἐνδείκνυται ἐγκέφαλον αὐτὸν πάχειν. Apoplexia omnes simul animales actiones ledens, que nobis ostendit, ipsum cerebrum pati. Sensu enim & motu universum corpus privari nequit, nisi sensus ac motus principium læderetur.

Secundarium seu *αὐα* quædam est tota corporis substantia. Quæcunque enim membra in sensu ac motu dependent à principio spinalis medullæ, illa hîc per consensum affici, nullus est, qui amplius dubitet.

Multi quidem alias partes principaliter affectas esse contendunt.

Hinc *Harvejus exercitat. anatom. 2. de circulat. sangv.* cor eligit. Sicut etiam *Philos. 1. probl. 6.* & *Petr. Apponens.* eò inclinant cum aliis: in eo enim, quando circulatio à crasso ac pituitoso sanguine intercipitur, tunc cor opprimitur & homo victimæ instar concidit ac suffocatur.

Dein

Deinde Paracelsus libr. 2. paragraph. cap. de gutta §. 4. non tantum cor, verum etiam pulmones & aëreos meatus pro loco Apoplexiâ affecto agnoscit; cum tamen *Tr. de Apopl. tom. 1. p. 527.* cerebrum ut sedem principalem agnoscat.

Helmontius denique *Tractat. de sede anima p. 230.* produxit Archæum suum, cujus sedem orificium cerebri sinistrum esse arbitratur. Quando igitur alieno planè motu & hospitio à cavo stomachi in venas hujus orificii sese insinuat mucilago insipida & putrida, tunc accidere Apoplexiam existimat in *Tr. de ignotarum actionum regim. p. 270.*

Alii quando de cerebro tanquam loco affecto sunt solliciti, multarum sententiarum divortiiis distracti modò hanc, modò aliam opinionem amplexantur. An lædatur ut pars similis, an ut organica in homine quærunt? conveniunt potissimum in eo, quod juxta effatum *Galen. 3. de loc. 7. & 2. de caus. sympt. c. ultimo* laboret, ut pars organica, ut similem tamen interdum pati cum quibusdam censet *Mercurial. l. 1. de aff. cap. 19.* quatenus intemperie frigida ac humida laboret.

Majoribus dubiis involuta est opinio de parte cerebri affecta.

Anatomicorum scripta ad nauseam fermè recensent, quàm pulchra, artificiosa, & propter varias inimitabili artificio conjunctas partes admiranda sit cerebri structura. Munitur validissimo ossium capitis integumento, defenditur à circumductis membranis, ob singularem tutelam ab Arabibus præcipuè *matrum* nomine donatis. Hæc prout duplicantur, vel reduplicantur *processus & sinus* efformant, inter quos ille per mediam excurrentis, falciformis vulgò dictus, maximè conspicuus. Vasa arteriosa à carotidibus venosa à jugularibus communicata, æquè exteriorem ac interiorem cerebri substantiam perreptant.

Corpus callosum, quod diducta utrâque cerebri parte se conspicendum præbet, sustinendo cerebro superius sito, & dividendo ventriculos laterales ex parte dum inservit, non frustra conditum & ex medullæ spinalis portione generatum esse patet.

Septum lucidum æquè aspectu jucundum ac ad sustinendos

B

ven-

ventriculos utile. Ob similitudinem ita dicti *ventriculi bini laterales*, qui anteriores quoque audiunt, & aquam, meningem ac plexum choroidem ex arteriis plurimis, venis & subtilissimis glandulis contextum exhibent.

Tertius medius ob situm dictus, *eminentiis* anterioribus ac posteriores à cerebro ac cerebello confectis *meatibus*, ac in medio se representante *glandula pineali*, à Cartesianis magni habita, singularem prærogativam acquirit à multis, sub hoc *infundibulum* seu choana à tenui meninge genitum, & *glandula pituitaria* in sella ossis sphenoidis situm amans extra meningem, & quatuor canales emittens, ut & *rete mirabile* propriè à plurimis ita dictum, decumbunt.

Quartus denique ventriculus qui posteriori meatui tertii adhibet, & in cerebello situm amat, considerari meretur, licet à quibusdam pro vero non agnoscat. In oblongam ac rotundam partem dividunt cum Pergameno permulti, *processus vermiformis* hunc tegit & munimenti loco est.

Cerebellum, quod appendix cerebri esse videtur, parem cum cerebro habet dignitatem, imò inulti non verentur majorem vim in generandis spiritibus animalibus, ob solidiorem consistentiam & vasorum situm attribuere.

A cerebri æquè ac cerebelli ramis *medulla spinalis* componitur, quatenus bini caudices à cerebro & cerebello descendunt. Teguntur non solum, sed etiam in medio dividuntur à membranis, quæ meningum soboles, quæ divisio in causa, ut unum latus paralyticum fiat, illæso altero.

Ex his omnibus ac variis, quænam in Apoplexia maximè afficiatur, an omnes, an ex illis una? alii aliam fovent sententiam.

Galenus 3. de loc. aff. 7. ac alibi ventriculos laterales præcipuè pati censet, quem cum aliis *Saxon. part. 1. prax. c. 11. & Massar. loc. cit.* sequuntur. Alii Varolium secuti ventriculos pro superfluitatum humorosarum receptaculis habent, & ita subjecti, vicem nullatenus sustinere posse censent. Quibusdam ob insigne in componendo artificium tertius ut subjectum inservit; alii

alii cum *Riolano l. 4. enchirid.* ac alibi quartum variis modis
accusant.

Qui Hippocraticum effatum *4. de mt. vict. acutor. e. 23.*
considerant, venosos ac arteriosos ductus obstructos, à corde ad
cerebrum tendentes pro subjecto habent, sicuti *Galen. l. de mt.*
curand. per sangu. miss. obstructionis talis mentionem facit. In-
de Querc. tecrad. aff. capit. c. 3. & Alex. Bened. l. 1. de re med. c. 34.
vasa hæc subjectum esse censent, prout iis obstructis, denegatio-
nem influxus spiritus vitalis sequitur cessatio spiritus animalis.

Nobis sententia quam cum **MAGNIFICO ROLFINCIO**
amplexatur *Wepferus tr. de sede apoplex. in fine*, arridet, licet
Gregor. Nymman. in tr. special. de apoplex. contrarium defen-
dere strenuè allaboret. Et ita, ut ex definitione patet, Princi-
pium spinalis medullæ pro subjecto Apoplexiæ agnoscimus.
Hoc à cerebro & cerebello dependet, mediantibus quatuor cau-
dicibus, duobus sc. à medulla cerebri & duobus à cerebelli me-
dulla productis. Ab hoc ipso postea derivantur multa nervo-
rum paria, ut septem cervicis paria, duodecim dorsi, quinque
lumborum, sex tandem per ossis sacri foramina diffusa videntur,
quæ omnia distribuuntur, partim in dextrum, partim in sinistrum
latus. Obstructis igitur his nervis, modò in dextro, modò in si-
nistro latere oritur paralyfis, resolutâ materia principium ner-
vorum in paroxysmo apoplectico obstruente.

Quomodo autem & unde hæc nervorum obstructio fiat
in Apoplecticis, jam jam explicandum venit.

CAPUT IV

de

causis Apoplexiæ immedia- ta ac mediatis proximioribus.

Quam necessaria est morbi curatio, tam necessaria quo-
que est ejusdem causarum cognitio. Sublatâ enim per cu-
rationem causa, sive principio, nullo negotio tollitur ipsum

B 2

quoq;

quoque causatum seu principiatum; quod hîc vocatur Apoplexia.

Hujus jam affectus IMMEDIATA CAUSA est influxus spirituum animalium in principium spinalis medullæ dene-
gatus.

Principium spinalis medullæ est officina in qua generati resident spiritus animales, ac per eam dispensantur, & singulis partibus mediantibus canalibus nervosis ab eâ prodeuntibus communicantur, ad sensum ac motum excitandum.

Præterea licet præcipuè Anglorum permulti nervis succum alimentarem seu nutritivum adscriptum velint, nondum tamen rationibus adeò solidis nititur illa conjectura: scimus enim tam ex veterum, quam recentiorum doctrinâ, nervos solùm duplicis officii gratia à naturâ constitutos esse,

Primò ut animales spiritus deducant ad partes.

Secundò ut species sensibiles cerebro offerant.

Hoc præprimis exinde patescet, quia obstructo aut præciso nervo statim ejus functiones jam recensitæ cessant, licet nutritio non pereat.

1. Mediatae proximiores sunt obstructio spinali medullæ oblongatæ inducta.

2. Compressio ab humoribus omnis generis vaporibusque narcoticis aborta.

3. Referuntur & huc arteriarum & venarum obstructio-
nes. Nam hoc ipso influxus spirituum vitalium, qui aliàs ma-
teria generationis animalium existunt, inhibetur.

Spiritus an morborum causa fieri possint, multi dubitant: nos tamen, quando, solùm *Hippocratem 6. Epidem. sect. 8.* consu-
limus, nullo negotio persuasum habemus, quod hi modò quan-
titate, modò qualitate excedere queant aut deficere.

Quantitate si deficient spiritus, aut facultas generandi im-
becillis, aut materia minus utilis, vel non sufficit ad eorum ge-
nerationem.

Contingit insuper hic defectus spirituum dupliciter:

1. Ab extrinseco, si cerebri vasa sanguiflua ictu vel vulne-
re

re

re laedantur, & sic ex nimia hæmorrhagia spiritus deperdan-
tur.

2. Ab intrinseco, quando ex plethora vasa cerebri rum-
puntur, & hæmorrhagia oritur, apoplexia supervenire pot-
est.

Qualitate peccant, si vapores & spiritus narcotici illos
incrassent aut sopiant, & motum eorum modò impediunt, mo-
dò inordinatum reddunt, adeò, ut nullus ipsis in organa sensus &
motus influxus concedatur, tantum abest, ut animales actiones
edantur, quin potius aboleantur. Quod ipsum quoque proveni-
re à narcoticis potest, opiatis nimirum si nimia dosi & tempore
minus conveniente, & ægrotis qui catarrho ac similibus labo-
rant, exhibeantur.

Deinde à venenatis vaporibus, si illi improvidè naribus
hauriantur, apoplexia orta est; cujus exemplum *Langius propo-
nit lib. 1. epist. 43.*

*Humores præterea sive sint alimentarii sive excrementitii
suam symbolum quoque in apoplexiâ producenda conferunt.*

Sanguis succus aliàs alimentarius, si excessu peccat (quod
vitium plethora dicitur) vasa cerebri replentur ita, ut spiritibus
meatibus nimis compressis & angustioribus redditis, transi-
tus denegetur, quod approbat *Ibn Sina l. 3. Fen. 1. tract. 5. c. 12.*

وما الذي يكون قبيحاً
للروح الباطنة الدماغ فذلك عند
يُسَدُّ السُّرَّ يابان ولعروق من
تشدت الامتلاء وكثرة الدم
فلا يكون الروح مستغفراً

*illa autem, quæ est in meatibus spiritus ad cerebrum, est cum oppilan-
tur arteria & vena ex vehementia repletionis & multitudine sangui-
nis & spiritus non habet transitum.*

Externè si quando accidit, ut vel contusione vel ictu vel

B 3 alio

alio modo impetuoso sanguis in cerebrum effundatur, apople-
xia sæpe existit. Hoc testatur Fernel. l. 2. de abdit. rer. caus. c. 15.
ubi scribit, se in cadavere apoplectico sanguinis extravasati
& concreti duo cochlearia circa rete mirabile invenisse.

Cæterum quod circulatio sanguinis impedita apoplexiam
excitare possit, eleganter probat Magnif. Dn. D. Rolfincius in dis-
sertat. anatom. l. 6. c. 50. p. 1244. his verbis: Si torcular obstruatur,
& labenti sanguini obex objiciatur, tum turbarum plena fiunt
omnia sanguis ex sinibus retrò præcipitatur in tenuis & crassa meningis
arteriolas, principes turbantur actiones, & animales spiritus in
organa sensus & motus non influunt.

Inter humores excrementitios, ut vocant, primus jam
habetur pituitosus, cujus officina sive locus generationis sunt
partes corporis humani, sedes verò, in qua colligitur, atque
excernitur, habetur imprimis cerebrum. Hic ut procreet sæ-
pè apoplexiam, extra dubitationis aleam positum est, quia in
se & suâ naturâ est frigidus, glutinosus & crassus, idcirco etiam
facile obtinet vim occludendi aut obstruendi. Quod jam olim
Galenus in comm. apbor. 31. f. 3. prædixit, quod apoplectica passio
fiat, cum caput repletur pituitâ: & pergit eodem in loco.
Nullus morbus adeò senili ætati familiaris ac Apoplexia quia
in ea ætate cerebrum pituitosis repletur superfuitatibus. Ibn Sina
huic quoque adstipulatur, quando scribit l. 3. Fen. 1. tr. 5. c. 12.

و هو بـ لـ كـ لـ مـ نـ هـ وـ زـ حـ طـ يـ قـ كـ لـ مـ نـ هـ وـ زـ حـ طـ يـ قـ

رـ سـ تـ ثـ جـ دـ هـ وـ زـ حـ طـ يـ قـ كـ لـ مـ نـ هـ وـ زـ حـ طـ يـ قـ Humor

apoplexiam efficiens phlegmaticus est ut plurimum.

Hinc experientia edoctus scribit Illustris Rolfincius in dis-
sertat. l. 1. c. 13. p. 179., quod post obitum à pituitosis humoribus
supra spinalis medullæ principium ejusque caudices collectis
subortum hoc ferale symptoma bis observaverit.

Tandem confirmat hoc quoque, ut ex practicis constat,
confessio apoplecticorum, qui, priusquam in hoc malum in-
currunt, de capitis gravitate conqueri solent, quæ hujus gra-
vissimi affectus prodromus habetur.

Excre-



87a.

Excrementitius secundus sequitur Melancholicus, qui e-
jusdem ferè qualitatis & naturæ est cum primo. Hic enim
crassus & frigidus ab omnibus habetur, propterea si causa apo-
plexiæ fit, non mirandum est. Hoc etiam magnus *Hippocrates*
f. 6. aphor. 56. contestatur his verbis: Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νε-
σθήμασιν ἐς τὰδε Ἰπικίνδοι αἱ ἀποσκήσεις ἢ ἀποληξίην τῶ
ματῶ ἢ πᾶσιν ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνουσι. *Morbis*
ex melancholia ortis malè & periculosè ad hæc membra fit me-
tastasis, unde fit apoplexia corporis vel spasmus, vel mania, aut
cæcitas.

Recentiores etiam concedunt quidem, quod melancho-
licus humor faciat ad Apoplexiã producendam, verum non ut
causa solitaria, sed ut socia, quatenus hic cum pituitoso simul
concurrit. Inde *Nymmanus c. 1. p. 121.* dicit: *nurò solam melan-*
choliã, sed ut plurimum cum pituitã commixtam, Apoplexiã ex-
citare credimus.

A Bilioso, qui tertius est, an Apoplexia dependeat, nos
merito calculum subtrahimus. Nam bilis, quia naturã cali-
da & acris est, attenuat potius humores ac facultatem stimu-
lat ad excludendum crassum & frigidum, quàm ut illum fove-
re atque adaugere debeat. Privativè quidem, si quid huic tri-
buere licet, eundem affectum procreat, quatenus ex absentia
illius humores crassi ac frigidi permanent immobiles. Positi-
vè verò si præter naturam in cerebro confluerit, morbos po-
tius calidiores, vigiliã nimirum, deliria producit.

Quartus & ultimus serosus dicitur, qui, cum iterum tenuis
& fluxilis est humor, hujus morbi causa fieri nequit. Quando
verò contingit, ut ille in capite dissecto reperiatur, illum tu-
tius hydrocephali, quàm apoplexiæ præsentiam statuimus.
Etsi tandem concursus ejus conceditur, cum aliis humoribus
conjunctim hoc efficit.

Vapores narcotici, ut supra quodammodo monuimus, ex
variis rebus, opio, spiritu vini, imò nonnunquam humoribus
peculiariter corruptis elevati, spiritus animales ad motum in-
eptos reddere & humores cerebri increassare queunt, ut vel ob-
struen-

672
struendo vel comprimendo spiritibus viam præcludant: teste
Magnific. Rolsincio in Particul. capit. affectibus.

Helmentius accusat venenum nescio quod anodynum.

Paracelsus cum Chemicis à ærio peccante Apoplexiam de-
pendere unanimiter fatentur.

Relictis horum judiciis dissidentibus, inquiramus jam cau-
sas Apoplexiæ remotiores.

CAPUT V

de

Causis Remotioribus.

HÆ triplices sunt: Naturales, Nonnaturales & Præternatu-
rales.

Inter **NATURALES** primum locum sibi vendicat hîc
temperamentum frigidum ac humidum. deinde quoad corporis
constitutionem caput permagnum cum reliquis membris pro-
portionem non habens. Denique **ÆTAS SENILIS**, quæ præpri-
mis huic malo inopinato exposita sive obnoxia, ut etiam hoc
Hippocrates confirmat *s. 3. aphor. 31.* Licet juvenilis non abeat im-
munis.

NONNATURALES juxta *Kyper. l. 2. Institut. c. 6. & 10.*
dividuntur in necessarias & nonnecessarias sive contingentes.

Ex **NECESSARIIS** nonnaturalibus prodit **AER**,
qui adeò necessarius, ut ne momentum quidem privato eo su-
peresse ac vitam agere possimus. Si frigidus igitur & humidus
excedit aër, Apoplexiæ causa fieri potest. Nam humidus ce-
rebrum pituitâ replet, quam frigidus condensat, & sic postea
spiritibus in organa sensus & motus influentibus transitus dene-
gatur atque Apoplexia oritur.

Quod *ἀνω καὶ κάτω* contingere potest: *ἀνω*, quando tem-
pore autumnii hyemis aliove pluvix abundant; quod etiam
confirmat *Hippocrates s. 3. aph. 16. & 23.* Luna, quæ dicitur hu-
morum domina, huic affectui suum esse facile superaddere
potest: sic *Alexand. Benedict. l. 5. de curat. morb. c. 33.* testatur,
mul-

673.
multos, qui Lunæ radiis nocte expositi fuere, manè sideratos factos esse.

καίτω verò, quando sidere verno autumnali vel alio quoque exhalationes è terra surgentes aërem inficiunt atque corrumpunt. Hoc *Ibn Sina* de vere testatur l. 1. *Fen.* 2. doct. 2. c. 6.

ولتكر ركة في الالهة
سوان الالهة تكدن في
السنة والفالج Et propterea,

quod ipsum (ver) in phlegmaticis materiam phlegmatis movet, accidit in eo apoplexia & paralysis & juncturarum dolores. & *Hippoc.* de autumno aphor. 13. f. 6.

Fumus calcis opidò noxius habetur à multis, quando hic igne carbonum in hypocausto recens illito elevatus aërique commixtus inspirando attrahitur: cujus exemplum refert *excellentiſſ. Dn. D. Mæbius p. m.* de Rectore Hallensi, qui in musæo suo calce denuò illito atque illustrato studiorum forte & animi gratia commoratus paulò post Apoplexiâ correptus ac mortuus est.

II. CIBUS & POTUS in hoc affectu sese exhibent, enodandi, quando nimirum quantitate, qualitate & utendi modo excedunt.

Certum est, quomodo hi corpus nostrum alterare & habitum ejus, si iis non legitimè utamur, mutare possint. His enim copiosè ingestis, facile contrahimus corporis cachexiam, scabiem, & apoplexiam, uti, si rationes deficerent, experientia ad nauseam usque detexit atque detegit. Sola jam vini ingurgitatio ad confirmandum hoc sufficit: Hæc enim calidum innatum infirmit, vel etiam extinguit, unde pituita & cruditates variæ existunt, quæ postea hujus morbi autores evadunt.

Qualitate deinde si peccat cibus, fomes quoque hujus mali sæpè fit, ut si viscidus, crassus & frigidus exhibetur, vasorum obstructions & apoplexiam inducit.

C

Pa-

674

Pariter quoque si narcoticâ vi præditus est potus: quoties enim contigit, ut ingressi cellam musto vel vino repletam forte fortuna in apoplexiam inciderint.

Denique utendi modo cibus potusque etiam maximè nocet, si nimirum homines vel ex solo cibo vel potu solo vivunt, ut hoc experientia comprobat. Novi duas ex genere mulierum, quæ sæpius, quàm primùm Sol exortus est, spiritui vino supra modum ingurgitato vinum generosum superaddere cæperunt, & sic citius opinione suffocata perierunt.

III. SOMNUS & VIGILIAE suum hîc merentur locum. Ut naturalis & nocturnus somnus ritè institutus summè proficit, ita è contra præter modum & diurnus statim à cibo factus officit: Hoc ipso enim coctio impeditur, aut infirmatur, ascendunt nimis crudi, crassi ac humidi vapores, qui cerebro molestias creant, gravando ac obstruendo illud.

Inordinatus quoque & quidem supinus decubitus huic morbo fomitem suggerit, aliisque occasionem præbet, contestante *Ibn Sina libro 1. fen. 3. doct. 2. cap. 9.*

وامسا الامتاعا فهو نوم ردي
يوبي الامراض الرديئة متد
السكنة والغالج والكابرة

Resupine autem dormire est malum & ad malas præparans aegritudines, sicut Apoplexiam, & paralyfin, & incubum.

Vigiliæ nimia quoque noxia sunt, si enim noctes trahunt infomnes, cruditates cumulantur, & exinde mala existunt, ut confirmat *Autor summus de vict. nat. in acut. 2. p. 50.*

IV. MOTUS & QUIES coincidunt ferè, si excessus committitur, cum prioribus: Vita enim otiosa & sedentaria minus proficua est; calidum nativum segne in concoquendis cibus redditur, crudi ac frigidi humores coacervantur, & lerna malorum suscitatur.

Nec minus motus nocet, si illegitimus & nimis magnus



675.
gnus peragitur. Crudo enim adhuc cibo vel corpore jam-
tum crudis humoribus repleto, si motus nimius supervenit
coctio impeditur, vitiosi succi in corpore distrahuntur, &
obstructiones apoplecticæ interdum succedunt.

V. EXCRETA & RETENTA quomodo habitum corpo-
ris nostri naturalem in præternaturalem mutare possint,
nemo non animadvertit. Retenta enim justo diutius, sive
sit semen sive alia excernendorum suo tempore genera, fa-
cilè corrumpuntur, corrupta varia eaque gravissima affe-
runt corpori humano symptomata. Quod ipsum ex op-
posito melius elucescit; si enim excretio superflua contin-
git, vires enervantur, corpus refrigeratur & apoplexia ori-
tur. *Platerus* & alii permultos in ipso actu venereo Apople-
xiâ correptos ac mortuos esse observarunt.

VI. ANIMI *παθηματῶν* sive intensissimi affectus quid
detrimenti corpori inferant, omnes norunt. Hi enim ma-
ximam in excessu obtinent potentiam ut alterandi corpus
nostrum, ita quoque Apoplexiam invehendi. Notæ sunt hi-
storiz eorum, qui ex nimio gaudio Apoplexiâ correpti vi-
tam amiserunt. Recenset *Forestus lib. 10. observ. 70. p. 403.* his
verbis: *Multos conspeximus, tam viros, quam mulieres ex ira ve-*
bementiore & animi percussione in Apoplexiam incurrisse. Quæ
plura desiderat, evolvat modò magnorum medicorum observa-
tiones.

II. NON NECESSARIE SIVE CONTINGENTES fiunt I. per
fortunam & casum.

Per fortunam suam Ananiam cum muliere sua Apople-
xiâ periisse testantur Acta Apostolorum cap. V.

Per casum verò notavit *Fabric. Hildan.* exemplum quod-
dam de sene 50. annorum, qui ex colapho impacto Apo-
plexiâ obiit. *observ. c. 6. & obs. 9. p. 507.*

Hoc malum etiam à violentis externis alio modo in-
flictis ortum esse copiosæ inveniuntur observationes, Suc-
currit mihi jam exemplum quoddam horrendum de pota-
tore animosissimo, sed hac in occasione stupidissimo, qui
plurimis ingestis poculis, repetiit rursus haustum salutis

676

nescio cuius, & hauriendo suffocatus abiit. Itaque Germanus jure summo hisce heluonibus inurat hoc proverbium: **Es ertrincken ihrer mehr in Gläsern / als in Wassern.** O audacia detestanda! cogitarent hi potatores de ratione reddenda, certè abstinerent & dicerent:

*Opto tibi multam, nullam tibi poto salutem
est potior potâ sicca salute salus.*

2. *Per contagium* an quis Apoplecticus fieri possit, maximè ambigitur? Potest interea, si corporis dispositio ad apoplexiam subeundam simul adest, aliquid admitti.

3. *Per hereditatem* an propagetur, difficilior quæstio est? *Francisc. Oswaldus Grembs l. 2. c. 1. §. 10.* scribit Apoplexiam actualiter in semine latere per modum morborum hereditariorum; quod tamen absolutè loquendo nemo profitebitur.

Tandem causæ PRÆTERNATURALES sunt intemperies cerebri frigida & humida, morbi melancholici, læsiones capitis ab extra, dolor capitis, vertigo, tinnitus aurium diutius durantes, morbi lienis, uteri, scabies retropulsa & hujus farinae alia.

CAPUT VI

de

Apoplexiæ differentiis.

Hippocr. *sect. 2. aphor. 42.* dicit: *ἀδύνατον ἀδυνάτων, ἀδυνάτων ἢ ἰσχυρίων.* Apoplexiam fortem discutere quidem impossibile est: debilem verò non facile. In quo in genere dividit Apoplexiam in fortem ac debilem.

Fortis rursus suos admittit gradus, uti *Galenus in comment. ad hunc aphor.* illustrat.

GENERIS itaque ratione fortissima atque acutissima habetur illa, in qua licet respiratio ad sensum planè deficiat, ægerque cadaveris instar jaceat; tamen actu primo superest respirandi facultas.

Exin-



677
Exinde etiam Medici cautiore*s* interdiciunt, ne ante triduum aut horas 72. (in quibus omnium humorum circulatio peragi debeat, ut multi conspirant) Apoplexia defuncti terræ committantur, aliàs enim facile ludibrio exponere possent sepelientes. De hoc historias duas mihi notas, nisi materia nimis excresceret, annectere possem. Interim exempla abundè suppeditant *Forestus lib. 10. obs. 79. Schenck. obs. 150. & alii.*

Fortis deinde est, in qua respirandi virtus restat, sed ægrotus summa cum difficultate laborat, adeò, ut simul spuma ex ore profluat.

Minus fortis præterea & quasi inter fortem & debilem media est, in quâ neque intenta neque violenta respiratio adest, inæqualis tamen est, & intermittens.

4. *Debilis* tandem est, quæ parva dicitur, & aliqualem servat ordinem, usui verò non sufficit.

Alia deinde genuina seu vera, alia spuria sive notha dicitur, quæ scilicet ex Apoplexia & Epilepsia conjunctim constat.

Cæterùm ratione SUBJECTI alia est per *essentiam* talis; (sive hæc ab obstructione sive compressione, sive ipsâ cerebri subsidentia dependeat, perinde est.) Per *consensum* alia, quatenus aliena corporis membra subjectivè affecta principio huic materiam morbificam communicant.

Alia insuper est totius corporis, Apoplexia simpliciter & in rigore ita dicta; alia alterutrius tantum lateris, aliàs Hemiplexia vel Paraplexia dicta: alia tandem unius partis, quæ specialiter paralytis dicitur.

Postea ratione CAUSARUM alia est interna, alia externa, quæ à causa extrinseca oritur, ut à capitis contusione, alapa & similibus.

Rursus alia hæreditaria, quæ nobiscum nata dicitur: alia acquisita, & successivè à rebus, corpus nostrum afficientibus, introducta.

Ratione humorum, (sive sint alimentitii sive excrementitii) alia vocatur sanguinea, alia pituitosa, alia melancholica.

678

Ratione ortus alia existit primigenia , alia recidiva ,
quæ ob reliquias prioris paroxysmi recrudescit.

Ratione graduum vehementiæ alia invadit debilis &
non adeò fortis , alia vehemens & fortis, alia denique acu-
tissima & fortissima ingruit.

Occasionaliter denique, ut distinctionem *Helmontii* sub-
nectam, quam in *Tr. de jure Duumvint. p. 248.* continet, divi-
dit ille Apoplexiam in magnam & parvam , quarum hæc à
spiritu influente affecto descendit ; illa verò simul insitum
includit.

CAPUT VII

de

signis diagnosticis

Apoplexiæ.

Cognito & explorato morbo, facilis ejus succedere pot-
est curatio. Ut igitur eò feliciùs progrediamur in me-
thodo curativâ , viam nobis sternunt SIGNA DIAGNO-
STICA,

Signa Apoplexiæ diagnostica sunt, quæ affectum hunc
modò proximè imminere sive in fieri, modò jam jam in fa-
cto adesse docent, insuperque subjectum, causas ac even-
tum notificant.

SIGNA Apoplexiæ IMMINENTIS diagnostica sunt prinisò
dolor & gravedo capitis subitò ac vehementer invadens, teste
Hippocrate s. 6. aphor. 51. ubi verba sic se habent: Ουόσοισιν
ύγχαίνουσιν οδύναι γίνονται έξαίφνης εν τῇ κεφαλή, και τῶν χερῶν
μα ἀφωνοι γίνονται και ρέιχασιν, δύπολλωλα εν ἐπὶ αἱ ἡμέρησιν,
ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ. Quibus sanis dolores subitò fiunt in ca-
pite, si subitò obmutescunt & stertunt, intra septem dies moriuntur,
nisi febris supervenerit.

Deinde sensus torpores & stupores juxta *Coum 2. coac. præ-
not. cap. 1. v. 2.* ubi inquit: Καρχαί και ἀαιθησία, τῶν αἰ τὸ
ἐξ



ἔστι γινόμενα ἀποπληκτικῶν συμβησομένων σημεῖον. *Torporos*
ἔστι *stupores præter consuetudinem evenientes, Apoplecticorum pro-*
ximè contingentium signum.

Cæterùm *vertigines crebrae Apoplexiæ quoque prodro-*
mi sunt, ut testatur Ibn Sina lib. III. fen. I. tractat. V. cap. 1.

والدولر لله نورا نرو خمسو ما
فب لله شايغ بسكتة

Et vertigo quidem frequens propriè in decrepitis, nunciat Apo-
plexiam.

Insuper *incubus Ibn Sina libr. III. fen. I. tractat. V. cap. 2.*

الخائف هو مقدمة العين
التلنن ما المصع وما
السكتة وما الهانبا

Incubus est præcessor trium agritudinum aut Apoplexia, aut Epile-
psia, aut mania.

Epilepsia imprimis senum, tremor totius corporis, præci-
puè manuum hîc quoque accusantur à Petrao in Nosolog. dis-
sertat. VII. de Apoplex. p. m. 129.

Denique *Tinnitus aurium ac lingua balbuties non carent*
periculo: quod Hippoc. 7. aphor. 40. confirmat.

PRÆSENTIS Apoplexiæ SIGNA diagnostica sese fi-

stunt manifestissima.
1. In ordine ad GENUS occurrunt illa signa, quæ ab
ipsis *actionibus læsis* desumuntur. Omnes enim *actiones* fe-
rè sunt *ablatae*, nullus *visus*, nullus *apoplecticorum sermo*,
neque ullus etiam *auditus ac tactus attenditur*.

2. A *LÆSIONIS MODO*, quoniam *Apoplectici repente*
actionibus privantur & cadaverum instar eorum corpora ce-
ciderunt ac jacent immobilia. Exigua superest *respirandi*
facultas, interdum ferè nulla ad *sensum apparet*, omnia
membra quasi *conquassata ac prostrata videntur*, conspici-
tur *spuma circa os.*

3. Ra-

3. Ratione FORMALIUM DIFFERENTIARUM signa notantur diagnostica.

An fortis aut debilis habenda sit apoplexia ex respirationis læsione iudicium ferre licet: quia spiritus animalis non potest vel non sufficit, ut officio suo fungatur. In forti ad sensum planè abolita videtur respiratio. In debili tandem læsa est & stertorosa.

4. Ratione DIVERSARUM CAUSARUM signa diagnostica non sunt silentio sepelienda.

A pituitâ si originem suam sumserit, Apoplecticus exhibebit nobis faciem subalbidam, ac tumefactam, corpus album ac molle, notabilem oris humiditatem.

A melancholiâ si derivatur, facies ex livido nigricabit, æger erit temperamenti melancholici, atque hisce antea usus est cibus, qui postea huic malo fomitem suppeditaverunt.

Si à sanguine ortum suum traxerit, facies ex plethora rubere, oculorum venæ tumere debent, vel ob sanguinem quantitate aut qualitate peccantem, vel ob venæsectionem consuetam jamque diutius, quam par est, intermissam.

Serosa colluvies si aliàs abundet, eam concurrere, conjecturandum: ut Schröterus *tr. de humoribus.* & Piso *de colluvie serosa*, abundè explicant.

Si vapores narcotici in causa fuerunt, signa erunt omnia remissiora; contrahitur sic Apoplexia ex cibus vaporibus hisce pollentibus, vel ex aliis rebus, quæ vapores tales efflaverunt.

Denique *ab extrinseco* si acceperit, signa statim hoc notificabunt, & quomodo acciderit, circumstantes sufficienter explicabunt.

Hæc omnia itaque consideraturus medicus, quando ad apoplecticum curandum invitabitur, non tam famæ suæ, quam salutis proximi consultum ibit. Varii enim occurrunt in praxi affectus, qui iisdem ferè signis cognoscuntur. Ut ergò circumspicius agatur, quædam circa dignotionem apoplexiæ ab aliis consimilibus affectibus scitū necessaria subnectere lubet.

Dif.

681

Differt Apoplexia à Lethargo his ipsis, quod apoplectici cum stertore respirent, & licet pungantur aut tangantur, nihil tamen sentiunt, nec excitari possunt: Lethargici quamvis etiam somno teneantur alto, ex illo tamen stertoris experte rursus puncti aut tacti resurgunt.

Deinde Lethargici febre simul laborant, Apoplectici verò rarissimè in paroxysmo.

Denique illi sensim aut successivè incurrunt Lethargum; hi autem subito seu repentè incidunt in Apoplexiam.

Carus ab Apoplexia sensu tactus distinguitur. In caro enim omnibus sensibus ablatis superest tactus, quia puncti sentiunt, membraque hinc inde commovent; quod in Apoplexia non contingit.

Insuper *carus* paulatim ingruit, libera cum respirazione sine stertore, sed Apoplexia cum stertore & ablata respirazione.

Hæc tandem desinit in paralyfin, ille verò citra paralyfin evanescit curando.

A *catbarro suffocativo* discernitur ideò, quia ille sensus omnes salvos reservat, detentâ tantummodo respirandi virtute. Ille postmodum, si extrema minatur ac infert, hominem sano sensu motuque integro deprehendit ac suffocat; Apoplexia verò, quamprimum invadit, omnes sensus evertit ac tollit.

Catalepsis præterea in hoc differt ab Apoplexia, quod Cataleptici in eodem situ, in quo deprehensi sunt, sive sedentes sive ambulantes, rigidi permanent; Apoplectici autem in terram ruunt, atque membra non rigida, sed resoluta & flexibilia recipiunt.

Ab *Epilepsia* Apoplexia dignoscitur, quia Apoplectici trunci arboris in terram dejecti instar jacent nec moventur, Epileptici verò motu violento ac convulsivo modò hùe modò illuc circumvolvuntur.

Postea quoque *Epilepsia* per temporis intervalla recurrit, estque pueris præprimis familiaris: Apoplexia verò non

D

adeò

682. adeò sæpè redire solet, estque adultis & senibus maximè communis.

In *Ecstasi* melancholica differentia gratiâ pulsus ac respiratio obscure observantur, ægrique excitati mira loquuntur, quod eo modo in Apoplecticis non advertitur.

In *Syncope* ad sensum vix respiratio attenditur; Apoplectici verò abolita ferè respiratione cum stertore spiritum ducunt.

Pulsus præterea Apoplecticorum sentitur, non autem in *Syncope*: rubet quoque ut plurimum facies, membrorum resolutio adest in apoplexia; pallet verò facies in *Syncope* & os contrahitur.

In *uteri suffocatione*, frigus totius, color faciei pallidus, respiratio violenta & difficilis, & ferè nullus pulsus restat. Mulieres prius, quàm hysterica passione laborare incipiunt, conqueri solent de dolore inferiorum corporis partium: In apoplecticis pulsus supermanet, & antequam corripuntur, dolore capitis afficiuntur.

A *paralyse* distat tandem gradu vehementiæ; nam illa non adeò intensè ac repentiè irruit atque hæc: deinde illa solum partem seu latus corporis alterutrum invadit, hæc totam corporis substantiam pervadit.

SUBJECTUM, quod hîc primariò denominatur principium spinalis medullæ, an essentialiter laboret, an verò materia morbifica ab aliis partibus subjectis transmittatur, causæ antegressæ atque singularum partium constitutiones manifestabunt.

Denique Apoplexia causis an ab internis, an verò externis introducta sit, partim totius corporis, partim uniuscujusque partis temperies & dispositio notificabunt.

CAPUT VIII

de

salutis & mortis, longitudinis
& brevitatis ac modi eventûs prognosi.

Si

683.

Si rationem GENERIS in prognosi, utut omninò respicienda sit, habere liceat, omnis apoplexia, quæ in subtractione operationum animalium præsertim consistit, ostendit se nobis periculosam, primò ob principii passivi nobilitatem, deinde ob repentinam morbi ipsius vehementiam atque invasionem.

Utrum autem hic affectus absolutè & simpliciter statim magnus ac periculosus censeatur, ex intensiore aut remissiore gradu invasionis ejusdemque symptomatum, magnitudine colligitur. Hujus præsentis morbi jamdudum prognosticon summus *Autor s. 2. aphor. 42.* nobis communicavit, dum ibi inquit: *Solvere Apoplexiam fortem impossibile, debilem verò non facile.*

Cæterùm magnitudo apoplexiæ ex diverso respirationis læsæ gradu dijudicatur: si illa respirandi facultas aliquem adhuc servat ordinem, debilis pronunciatur, & curatu difficilis. Vehemens autem habetur illa, si virtus respirationis violenta ac inæqualis existit. Si denique penitus ferè abolita animadvertitur respiratio cum stertore, ac spuma circa os, tunc acutissima, prorsusque ut plurimum incurabilis evadit, uti asserit hoc etiam *Galenus 2. aphor. 42. & Hippoc. s. 2. apb. 43.*

Huic tamen contrarium ex Autoribus multi æquè ac experientia ipsa affirmant, quòd nimirum spuma circa os observata in apoplecticis non semper ac necessariò sit signum lethale, sed interdum & quidem rarò salutis vestigia relinquit.

Magnif. noster Rolsincius ad decidendas hasce diversas sententias *libro superius citato* adhibet distinctionem inter spumam pulmonum roridam & catharrhalem vel salivalem.

Cùm spuma fit, inquit, quando cordis fuligines, humori proprio pulmonum à cordis caliditate spirituumque agitatione permixtæ, pulmonum violento motu foràs eliduntur; fieri aliter vix potest, quin pulmones substantifico & connato suo humore privati comprimantur, suam spartam

deserant, calori cordis eventilatio & fuliginum exclusio necessario denegetur, morsque in propinquo sit.

Cum vero spuma ex salivali, catarrhali & pituitosa materia a spiritu permeante agitata, & acri mista generatur, & spumæ potius speciem habet, nullum periculum subest, quin hæc boni sæpè nuncia, naturam laudabiliter excernente, a capite descendit.

Hoc etiam probe notandum, quod interdum quidam, absque spuma prælagente, Apoplexiâ extinguantur, fortasse, quia causa acutissima ac potentissima vires ilico prosternit, & calorem nativum suffocat.

Stertor, si simul adsit Apoplectico, quid portendat, Hippocrates explanavit *s. 6. aphor. 15. Qui valentes capitis dolore repente corripuntur, & protinus muti fiunt & stertunt, intra septem dies intereant, nisi febris supervenerit.*

Ubi interpretes febrem non mediocrem ac remissioem supervenire debere contendunt; quod ipse Hippocrates, *prophet. 2. aphor. 50.* approbat, dum scribit; subitaneis Apoplexiis si febris diutina & mediocris superveniat, periculosum pronuntiandum esse. Febris igitur illa acuta, fortis ac essentialis esse debet a singulari humorum & spirituum commotione atque effervescentia suborta, ut eo citius materia morbifica discutatur,

Recentiores autem rursus contrariam ferunt sententiam, ex quibus unus est *Nymmanus cap. 37.* qui a minori ad majus argumentatur ita; Si mediocris febris periculosa Apoplectis perniciofa, sequitur, quod multo periculosior erit fortior. Facile autem excipitur, quod febris fortis intelligenda, quia in eam materia perfectius movetur ac in debiliore, ubi imperfectus motus materiae, turbam potius humorum concitat, quam ad exitum eos disponit.

Stertor coincidit præterea ob resolutionem gutturis & musculorum laryngis & thoracis, spiritus expelli liberè non potest, sed diu in gutture hæret, donec alius superveniens cum necessitate urgente protrudat, & epiglottida sic violenter

ter



ter commoveat, ut Magnif. Rolfincius docet in libro supra citato.

Cæterùm Hippocrates 2. coac. prænot. c. 23. t. 3. singularem promittit spem, si per hæmorrhoides excernenda excernantur.

De SUBJECTO si quid præfagire licet, semper si essentialiter seu primariò laborat, gravius, citius ac periculosius pendet affectus genus, quam si accidentaliter, secundariò seu per consensum afficitur, quod facilius & feliciter abigitur.

De CAUSIS postea si etiam aliquid prædicendum est, hoc profectò est: Quò materia obstructionem efficiens lenta magis ac pertinacior est, eò periculosior ac gravior ipse judicatur affectus. Periculosius itaque est, si à melancholia oppilatio oritur, quam à pituitâ aliisque internis, habito tamen quoque respectu ad gradum intensiõnis. Periculosissima illa ab omnibus pronunciatur, quæ ab extrinseco, fracturâ nimirum cranii, læso cerebro ejusque membranis, ita ut sanguinem extravasari oporteat, introducitur.

Gravius postea censetur hoc malum, si juvenem prehenderit, quam si senem, fortè, quia non adeò à naturâ senis alienum esse videtur, juxta Hippocrat. s. 2. aph. 43. Præterea cum juvenis naturâ fortior ac alacrior, eò validiùs malo resistere vult, sicque vires destruuntur.

Quicquid tandem sit, si eò ventum est, unusquisque apoplecticus suo indiget clypeo.

Ratione LONGITUDINIS, brevi temporis spatio aut mortem accelerat, aut salutis redituræ quoddam præfulgelumen.

Refertur Apoplexia ad peracutos morbos exquisitè tales, qui dividuntur à Galen. 2. aphor. 19. in illos vel cum febre conjunctos, vel sine febre invadentes, tandem Apoplexiam in classem illorum, sine febre ingruentium includit. Illa enim modò breviori, modò longiori, modò denique & quidem plerunque 24. horarum spatio suum solvit debitum.

Respectu MODI EVENTUS, Apoplexia aut necat, aut mutatur in paralyin, ut Rasis attestatur lib. 1. cap. 1. p. 3. For-

tissima plerumq; ad mortem tendit ob calidum innatum extinctum, & facultatem respirandi interceptam.

Debilis verò interdum salutem promittit, si materia aut per hæmorrhoides exterminatur, aut feбри discussa eliminatur.

Rarò perfectè solvitur & per se sola evanescit, sed ut plurimum in alium morbum, utpote paralyfin desinit.

Rarissimè in universalem, sed particularem terminatur, in qua sæpè non sensus sed motus solùm cessat.

Interea itaque manet verum, quòd omnis Apoplexia sit periculosa, sed non omninò omnis desperata. Sæpiùs accidit, ut Apoplectici à medico quodam prorsus derelicti, & mortuorum instar à multis habiti sunt, qui tamen, postquam ad sepeliendum traditi fuerint, ad vitam redierunt, uti hoc *Ibn Sina 3. fen. 1. tr. 5. c. 12.* singularibus mirandisque exemplis illustrat.

Et *Zacutus Lusitanus* eleganti historia confirmat *libr. 1. prax. med. admir. obs. 19.*

Idcirco etiam hoc tempore jubent medici cautiores, ne Apoplecticus statim, sed post dierum trium intervalla sepe-liatur.

Quod ipsum ob humores tardos *Ibn Sina Fen. 1. libr. 3: Tr. 5. c. 12.* approbat: Et *Forestus l. 10. obs. 79.* rationem hujus temporis determinati subjungit, quia sc. humores intra hoc temporis 72. horarum spatium motum suum absolvunt.

Si denique explorandum est an vita adhuc supersit, *Joël libr. 1. Pract. s. 3. p. 181.* singulare quid edocuit, nempe candelam aliquam accensam naribus esse applicandam, ex cujus lucis motu dignosci posse arbitratur, vitam adhuc superesse. Denique alii movent, ut speculum ori apoplectici admoveamus, quod si maculam ex halitu ejus contraxerit, vitam adhuc adesse, censendum esse.

CA-

CAPUT IX

de

methodo curandi Apoplexiam, materiis praesidiorum, quae ex fonte chirurgico suggeruntur.

METHODUS haec curandi nititur INDICATIONIBUS, *curatoriâ ipsâ, praeservatoriâ, atque vitali.*

CURATORIA Apoplexiam ipsam respicit, cujus beneficio in paroxysmo subtrahi atque auferri debet.

PRÆSERVATORIA extra paroxysmum causas omnes, substantia, quantitate, qualitate, motu & loco peccantes debellandas atque excludendas esse praescribit, sicque imminenti viam quasi praeccludit.

VITALIS requirit, ut subiecto laboranti succurrere, medicamentisque nobilissimis partibus aliis succumbentibus suppetias ferre debeamus.

Apoplexia in facto esse quocumque tempore si deprehenditur, ne æger prorsus suffocationem incurrat atque moriatur, iusta indicationum via sine mora aggredienda atque abigenda est.

Indicationes hujus morbi erunt principii spinalis medullæ obstructi vasorumque exinde dependentium reseratio, quæ feliciter succedit, si materia peccans & obstruens educitur, & humores varii generis, si violenter irruant, & molestiam pariant partibus, revelluntur, & deinde partes affectæ corroborantur, ut eò fortiùs & citius exterminetur atque evanescat.

MATERIAE PRAESIDIORUM igitur, si exoptatum finem obtinere velimus, ex ordinariis depromuntur fontibus:

CHI-

CHIRURGICO nempe, PHARMACEVTICO ac DIETETICO.

Ante omnia Medicus advocatus, priusquam ex prædictis fontibus aliud quiddam adhibere conatur, procurare debet, ut ægrotus temperato loco pariter ac justo situ collocetur: Situs enim non omninò supinus neque planè extensus sit, sed aliqua ex parte sedens locetur, erectâ quoad fieri potest, cervice, ut eò liberiùs respirare, ac sanguinis circulatio suo modo motum continuare possit.

Locus si forte non natura temperatus, arte conciliandus, de quo inferiùs.

Post hæc ex FONTE CHIRURGICO maximè conducent *repetite sæpius, moderatè tamen concussiones*, ut via spiritibus patefiat, & sic rursus officia sua exequi incipiant.

Friciones quoque, quæ cum calidis linteis, Ole & ☩ sunt, fructuosè peraguntur.

Naribus præterea etiam inungi debent ☉ ex specificis destillata & balsama apoplectica; Eadem insuper vertici atque occipiti inungenda sunt atque affricanda.

Ligatura artuum fortes non sine fructu instituuntur, eâ tamen notâ, ut modò relaxentur, modò constringantur, ne pars ex diuturniore, quam par est, ligatione, gangranam contrahat.

Venæsectio nobilissimum aliàs atque generosissimum in morbis profligandis auxilium, an in apoplectico conducibile, nec ne, probè consultandum est? Nam non omni tempore, omnibus uti licet. Perpendendum ergò est in hoc affectu gravissimo, utrum à sanguine dependeat, & an vires & ætas adhuc venæsectionem sustinere possint. Si hæc præmonita consensum præbeant, tum juxta illud: extremis morbis extrema debentur remedia, attendamus, quod Hippocrates 4. de nat. vitæ. acut. l. 24. scribit: ἰσὺρρόπον μὲν ἰντήριον, ὡς μεγάλῳ πόνῳ μέγα βοήθημα φλεβοτόμῃ. *Equale adiutorium, utpote magno morbo magnum remedium est venæsectio: & Celsus connotavit lib. 3. c. 28. Si post sanguinis missionem non redit motus ac mens, nil spei superest. Manet interea venæsectio suo tempore institu-*

657.
stituta summum & pene divinum sublevamentum; quæ 1. ra-
tione modi secandi debet institui in variis locis prout in-
dicationes postulant, dein repetitis vicibus non uno nume-
ro actu.

2. Ratione sexus etiam variat: hujus enim diversitas
modò suprâ modò infra venam mittere jubet.

3. Ratione ætatis & virium, quæ nunc multum, nunc
paucum, nunc planè nihil sanguinis detrahere permittunt.

Quæ præterea annotanda sunt in legitima venæsectio-
ne, ea sufficientissimè offert nobis *Excellentissimi Dn. D. Schen-
ckii P. P. Præceptor. ac Promotor. mei omni observantia colendi,
dissertatio de Venæsectione nuper habita.*

Postea venæsectionis loco maximum etiam emolumen-
tum promittunt CUCURBITULAE inter revellentia sine scari-
ficatione applicatæ partibus quibuscunque usitatis.

CAUTERIA denique actualia in nucha & vertice adhi-
bita, SETACEA & VESICATORIA quoque suo non carent fru-
ctu, ut contestantur Practici.

CAPUT X

de

præfidiorum materiis, quæ ex fonte pharmaceutico sup- peditantur.

Quàm varia, virtuosa, atque nobilissima medicamento-
rum genera ex armamentariis medicorum, tum exter-
nè tum internè nobis utilissima suggeruntur, omnibus jam-
diu notum est.

Curatio quidem ex pharmaceutico æquè ac aliis fon-
tibus partim in paroxysmo, partim extra eum, si considera-
tur, distinctò modo instituenda. Hanc tamen seriatim pro-
ponere supersedemus, partim tempus perpendentes, partim
prædicorum libros undique repletos esse talismodi curan-

E

di

690

di modo praescripto, considerantes. Pauca, proficua tamen inserviant, scopo utrique inservientia.

In Apoplexia, quae materiam morbificam repellunt atque revellunt, primas vias aperiendo saepe occurrunt suppositoria atque clysmata acria ac fortia cum specificis commista. Ea autem tam ante quam post venesectionem pro subjecti constitutione locum inveniunt. Quia harum formularum copia luxuriant practici permulti, praecipue ubere videri possint optima ex Sennert. lib. 1. prax. pag. 2. Rolsincio in methodo cognose. & curand. part. affect. dissert. de Apoplex. p. 49. & Joël. lib. 1. pract. s. 3. p. 95. ideò, ne fastidium pariant, parum subnectam, interim

Rx. herb. salv. rorismar. beton. chamedr.
primul. ver. centaur. min. an. mß.
flor. lil. convall. salv. rorismar.
lavvendul. chamem. an. p. ij.

sem. faxic. paon. carv. an. ʒij.
rad. aristol. rotund. pyretbr. impemr. paon. an. ʒß.
Coq. in s. q. v. commun. colat. Rx. ʒviiij, in quibus dissolv.

Electuar. hier. picr. cum agaric.
bened. laxativ. an. ʒß.

o major. ruta an. ʒß.
succ. rute inspiss. salv. an. ʒß.
extr. castor. gr. vj. M. F. l. a. clysmata.

Clysteres si forte in actum traduci nequeant certas ob causas, coquantur instar puitis seu redigantur in formam cataplasmatum, deinde extendantur super pannum & imponantur toti abdomini. Quod stratagema feliciter cedere testatur magnus vir in sua praxi.

SUPPOSITORIA quoque sua non carent efficacia.

rx. spec. hier. picr. c. agar. ʒij.
puls. bell. alb. ʒß.
Ol. rut. ʒß. c. s. q. mell. antbos.
F. l. a. Suppositor.
illin. ol. rorismar. coct. diacoloc. q. s.

S. Stuhlspstein

Postea



69a

Postea curatio absolvitur, ut omnium ferè consensus approbat, emeticis seu vomitoriis, quibus magni practici multum virtutis in profliganda apoplexiâ, si à pituita originem suam accepit, tribuunt. Dicunt enim his ipsis materiam spermatis ranarum instar in corpore hæsitantem, evacuari, totum corpus tam per medicamenti vim, quàm per motum fortem, quem excitat, calefieri atq; instigari, spiritus sublatâ materiâ refocillari & facultates animæ, quæ antea ferias inire coactæ quasi fuerunt, rursus operari posse. Hæc in ipso paroxysmo rarò profunt, nisi magna & effrenis sit copia aliàs non educibilis, extra paroxysmum verò usus tutior.

Commiscent hisce specifica confortantia, ut eò citiùs & tutiùs operationem edant, & naturæ ad eliminandam materiam peccantem auxilium feratur.

Inter cætera non postrema habentur à chemicis *ÿrialia* & *Glata*. ut:

℞. *ÿ. vitæ rit. præp. gr. vi.*

∇ *salv. ʒj.*

M. D. S. *Brechräncklein.*

Vel ℞. *ros. vit. miner. Salæ g. v.*

inf. in ∇ cerasor. nigr. ʒj. per noct.

Colat. add. sirup. de betonic. ʒij.

M. D. S. *Sonderlich Brechräncklein.*

Alii sunt, qui prorsus emeticorum usum rejiciunt & quidem in paroxysmo, ut *Sennert. l. 1. præx. part. 2. c. 33. q. 6. p. 711.* item *Forest. l. 10. obser. 75. p. 413.* iis certo ante dicto modo subscribimus. Interdum quidem & ratio & experientia suadet propinanda esse. Ingeniosis igitur cautelis opus esse judico, si Apoplecticus ad curandum nobis offeratur. Variantibus enim conditionibus exigentiæ in subjecto, variat ipsa curatio.

Ad hæc, si Apoplecticus quodammodo liberatus fuit, & deglutitio salva est, purgantia eaque liquida offerri queunt, ut humores in capite relictæ, aut in aliis partibus stagnantes, ne recidivam pariant, expurgentur.

Specifica semper admiscere convenit: Ex numero purgantium extract. agaric. fol. senn. gialapp.

℞. extract. agaric. ℞.

solv. in s. q. ▽ salv.

adde resin. gialapp. gr. vj.

sirop. de stech. arab. ℥ij.

M. S. Purgirend Hauptiränclein auff j mahl.

Si verò deglutitio læsa est, (quæ ob nervosum genus læsum plerumque & facile contingere potest) loco purgantium ^{ovis} infudentium, clysteres fortes substitui atque injici queunt.

DIAPHORETICA sive sudorifera quoque magni viri hîc commendant, quæ suo modo locum habere possunt. ut

℞. ℥ii diaphoret. ℞.

dissolv. in spir. lil. convall. seu ▽ apoplectic. opt. q. s.

D. S. Schwisiränclein.

STERNUTATORIA etiam, præmissa corporis legitima evacuatione minùs omittenda aut spernenda sunt, quia facultates sopitas maximè excitant, ut pulveres hujus generis varii offerri queunt. ut

℞. flor. lil. convall. summ. majoran. an. p. ij.

sem. nigell. ℥i. tabac. opt. ℞.

pulveriscentur ac instillentur gutt. 2. vel 3. o succin.

M. F. pulv. D. in charta S. Niesepulver.

Eandem virtutem, edit quoque o succini, si solum penâ naribus Apoplectici inungatur.

Denique medicamenta ROBORANTIA subjectum passivum, & quidem specifica sunt summè necessaria, quia his neglectis, facilè denuò in apoplexiam eamque periculosiorem incidunt convalescentes.

Ut igitur hoc præcaveamus, cerebrum confortandum specificis, quæ toto morbi tempore interiùs pariter atque exteriùs summo cum fructu adhibentur.

Ex horum caterva sunt essent. fl. lil. convall. castor. Anthos. omnes & singulæ aq. apoplectica, o succin. ruta, majoran. anth. camphor. & ex his præparata balsim. antiapoplectic. & similia.

℞.

Rx. fl. lil. convall. prim. ver. an. ʒiʒ,
essent. anthos. rorismar. salv. an. ʒʒ.

M. S. Sonderlich Hauptmixtur wider den Schlag
30. bis 40. Tropffen.

Æger itaque si ad pristinam sanitatem rursus rediisse videtur, tunc hypochondriis, utero, aut aliis partibus, si ansam huic malo dederunt, specificis quoque succurrendum est.

ALTERANTIA non sunt negligenda, sed suo tempore propinari debent.

Si curationem ipsam ita Medicus prudens feliciter absolvit, posthæc ipsi minus erit difficile præservandi modum præscribere, idè nihil de hoc subjuncturus sum.

CAPUT XI

de fonte diætetico in apoplectico observando.

Apoplexia cum sit affectus acutissimus, & sine morâ extrema minetur, non opus esse puto, ut multum de cibo & potu ægroto exhibere audeamus in paroxysmo. 1. ob deglutitionem læsam 2. ob appetitum dejectum: interim tamen quando paroxysmus quodammodo remisit, tenuissima victus ratio præscribenda est.

Necessum erit, ut **CIBI** sint boni succi citoque nutriendes, aromatibus specificisque cephalicis conditi. **POTUS** cerevisia tenuis semper imprægnetur confortantibus, & à vino ad tempus absteineat.

Cæterum quia non solum cibus & potus, sed reliquæ etiam res nonnaturales hinc spectant, ideoque, quomodo singulæ debeant esse comparatæ, paucis subjun- gemus.

AER sit purus ac temperatus ad caliditatem vergens; si verò naturâ talis non invenitur, arte introducendus. In

E 3

mor-

694.

morbi principio æger ex somno revocandus, alvus quoque aperta sit servanda & veneris exercitium prorsus inhibendum.

Æger sensibus paulisper recuperatis sibi caveat ab IRA, TERRORRE, & his similibus ac nimia REPLETIONE, in omnibus usum rerum sex nonnaturalium ad normam præscriptam observet.

Hæc tandem sunt, quæ proponenda esse censui: DEO Autori omnis boni sit honor & gloria.

CLARISSIMO

MERKELIO,

artis Pœoniæ candidato meritis-

simo, chimico præ multis expertissimo,

de summis in Medicinâ HONORIBUS

disputanti

Æ I O Σ!

adclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS,

PHIL. MED. D. PRACT. ET CHIM. P.P.

ACADEMIÆ SENIOR.

MERKELI, nostræ præno-
bile germen Hygeiæ,
& Chimiaæ prælustre decus,
dum prisca medentum

evol-

690.
evolvis monumenta, expen-
dens singula lance,
è locuplete penu ingenii de-
promis in usus
communes. Maçte hâc præ-
fulgente arte medendi,
sic te posteritas & posthuma
fama beabit.

MERKELI medicum te sistis
corpore, vultu,
doctrinaque gravem cunctis.
Nil esse videtur,
artificis quod non demon-
stret commata veri.
Undè tibi, quos indè cupis
prensare laborum,

nemo

nemo negat, fructus. Est mens
est omnibus idem
votum, quò meritis salvus sa-
nusque fruaris.

Joh. Theodorus Schenck, Med. D. P. P.
hodiè DECANUS.

Est monstrum, quo non gravius nec tristius ullum
secla timent hominum.

attonitus morbus, cum ceu Jovis ignibus ictus
quis jacet ætherii,

atque stupent sensus cuncti, vox faucibus hæret,
nil memor estque sui.

Hoc superare doces, MERKELI clare, libellò
differis attonito

dum jam de morbo, attonitus miretur ut ipse
te Cous ille senex:

Quale tulit pretium quondam Tyrinthius Heros,
vel Jove dignus homo,


quod superare suâ valuit, mortalibus usque
monstra timenda manu;

Tali nunc laudum cunctis mañandus honore
tu quoque, MERKEL, eris.

Crede mihi, si sic pugnare & scribere perges
Hercule major eris.

*Nobili atque Clarissimo Domino Doctorando
de impetratis honoribus gratulaturus
ita ominatur*

PRÆSES.




153154

X2615746

R

W 17





DISSERTATIO MEDICĀ INAUGURALIS

DE

APOPLEXIA,

Quam

Auspicio divini NUMINIS clementissimi,
consilio & autoritate illustris SENATUS medici,
in florentissimā ad Salam Academia

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque
Experientissimo,*

DN. JOHANNES ARNOLDO
FRIDERICI, PHIL. & MEDIC. DOCTORE

famigeratissimo, ANATOMIÆ, CHIRURGIAE ac BOTANICES
Profess. Publ. longè celeberrimo, MEDICO Du-
cali SAXO ALTENBURGICO,

Dn. Patrono, Præceptore, ac Promotore submisso
animi cultū devenerando,

PRO LICENTIA

Summum in arte medica DOCTORATUS
gradum, ejusdemque Honores, Privilegia & In-
signia ritè sustinendi,

Publico Φιλιατρῶν examini submittit

MARTINUS MERCKEL,
Smalcald. Hassus,

IN ACROATERIO MAJORE
ad diem Maji horis pro- & pomeridianis.

JENÆ, Typis JOHANNIS WERTHERI, CLO IOC LXVIII.